

## IN LIBRUM PRIMUM

## EPITOMA.

**V**Enetarum Romanarumque rerum comparatio primo habetur loco : Rhodos insula a Turcis frustra oppugnata est : Atque Hydrus in Italia oppressa : Coricta insula Veneto cessit imperio : Quæ Ferrariensis belli origo, quæve causæ fuerint : Consultatio de bello Herculi Æstensi inferendo : Decreti belli apparatus : Cisalpinæ Galliæ & Padi descriptio : Via per paludes in hosticum communita est : Ficariolum laboriose oppugnari est cœptum : Classis per Padi fluentia invecata est : Hadria & alia circumjecta loca a Veneto capta sunt : Hostes ad Policellam victi sunt : Ficariolum nocturna est oppugnatione captum : Copiis palustri cœlo affectis, multi mortales vita decesserunt : Rodigium cum toto Polineso Venetis armis cessit : Alphonsus Aragonius Romanum agrum infestat : Rubertus Ariminensis in auxilium Pontificis est missus : Aragonius Dux in Veliterno agro ingenti prælio victus, clarissimam Malatestæ reliquit victoriam : Rubertus Ariminensis non multos post dies quum prospere in Alphonsum pugnarat, vita decessit : Per eos quoque dies Fœdericus Urbinas Ferrariæ defunctus est : Sigismundus Æstensis & Hugo Severinas ad Argentiam a Victore Superantio prælio victi sunt : Severinas, Pado ad obscurum lacum ponte superato, castra in conspectu Ferrariæ locavit : Munitionem ad hæc inexpugnabilem non procul a ripa fluminis magnis firmavit operibus.